

570 Portus ab accessu ventorum immotus et ingens

ipse : sed horrificis juxta tonat Aetna ruinis,

interdumque atram prorumpit ad aethera nubem

turbine fumantem piceo et candente favilla,

attollitque globos flammarum et sidera lambit ;

575 interdum scopulos avulsaque viscera montis

erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras

cum gemitu glomerat fundoque exaestuat imo.

Fama est Enceladi semustum fulmine corpus

urgeri mole hac, ingentemque insuper Aetnam

580 impositam ruptis flammam exspirare caminis,

et fessum quotiens mutet latus, intremere omnem

murmure Trinacriam et caelum subtexere fumo.